Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 815
Quelle:
Copyright:

minis ſui faciat deus peruenire, cuius regnum et imperium &c. Tertius incipit: *Si videatis fratres kariſſimi, quod mea non ceſſat humilitas* &c. et finit: *qui circa vos non videtis, quid agatur.* Omnes tres in impugnandis Superſtitionibus, puta invocatione Aruſpicum, Sortilegorum et Divinorum, geſtatione Philateriorum (φυλακτηριων) clamoribus ad juvandam Lunam laborantem &c. verſantur, de quibus, ut ſparſim in Sermonibus ſuis genuinis agat *Auguſtinus*, hos tamen *tres Sermones* in impreſſis non invenio.

XI. *fol.* 46. *Incipiunt ſuſpiria Beati Auguſtini.* Suſpiria haec nihil ſunt aliud, quam *Capita* IX. temere excerpta ex ſic dictis *Auguſtini Meditationibus*, quas in *Appendicem* T. VI. ad *col.* 107. *Mauriani* conjecere, *Admonitione* praevia, qua conficitur, pios hos animi motus ex dictis *Auguſtini*, *Anſelmi*, *Alcuini*, et *Johannis* Abb. cujusdam *Fiſcamnenſis Anſelmo* συγχρονω coaluiſſe. C. I. incipit: *Summa trinitas virtus una et indiſcreta* &c. Ultimum vero: *Domine ihesu dulciſſime, benigniſſime redemptor humani generis* &c. Multa et hic libertate in contrahendo, transferendo &c. Librarium uſum fuiſſe conferenti Exemplaria patebit.

XII. *fol.* 52. p. 2. Absque titulo incipit Determinatio Doctorum Theologiae ac Juris canonici Acad. *Vindob.* ſuper Aſſertis a M. *Johanne Munczinger* circa Sacramentum Altaris. Aſſerta iſthaec et eorum quaedam interpretatio etiam *Cod.* CCCCL. indicata ſunt. Hic tantum ulterius liquet praedictum Aſſertorem *rectorem opidi Vlmenſis Conſtan. Dyoc.* fuiſſe. Initium hic eſt: *In exordio preſentis negocij Deo ſcientiarum humiliter invocato proteſtamur* &c. Vide *Schelh. Am. lit.* VIII. 511.

XIII. *fol.* 58. *Bernardi Silveſtri*, qui *Carnotenſis* Epiſcopus obiit 1180. Epiſtola de gubernanda Re familiari. Initium eſt: *Gracioſo ac felici Militi Raymundo Domino Caſtri Ambroſij Bernhardus in ſenium ductus ſalutem. Doceri petiſti a nobis de cura et modo rei familiaris vtilius gubernande* &c. Edita ſaepius typis jam Sec. XV. ut *Lipſiae* 1497. 4. ſub nomine *Bernardi Claraevallenſis*, quin et Operibus ejus inſerta usque ad editionem *Jac. Merlo Horſtii* 1641.

XIV. *fol.* 58. p. 2. Anonymi *Sermones* ſive *Poſtilla* in Evangelium Feſti Dedicationis Eccleſiae et Aſſumptionis Mariae. Prior incipit: *Nota, vna proprietatum domorum, quod ſit luminoſa, maxime autem domus domini* &c. Poſterior: *Intrauit ihesus in quoddam caſtellum* &c. *Luc. 10. Porta per quam intrat Ihesus in caſtellum cordis noſtri* &c. Adſcribitur haec in *Indice* Codici praefixo *Domino Milicio*, quem *Johannem Militium Moravum Cremſirienſem* celebrem *Pragae* Oratorem ✠ 1374. habeo, de quo adi *Boh. Balbini Bohemiam doct.* P. II. p. 181. et Cl. *Adaucti Voigtii* de Patria ſua optime meriti *Acta liter. Vol. I.* p. 216.

XV.